

rum non paucos, qui auderent praecepta catholica et vniuersalia tradere: quo quidem in numero etiam hoc habetur, quod de duabus vnus loci lectionibus, de verbis duobus, optare nos iubet atque elegere verbum illud, quod rarius sit et elegantius et exquisitius, quod vi gaudeat et potestate quadam recondita et quasi occlusa, neque adeo aperta et prompta.

II. Neque profecto dubitari vlllo modo posse videmus ac fatemur, quin lex ista multas veritatis notas, argumenta multa, impressa sibi ostendet. Quis enim ignorat, operosa hominum et temeraria inscitia quam procliuis sit omni in genere, quam propensa, in hanc partem, vt rara et noua et elegantia attingat, eaque mutare communibus et vsitatis et cotidianis audeat? Neque vero praeterire quenquam, harum litterarum studiosum, potest, ingentem locorum et verborum copiam in veterum auctorum vtriusque linguae libris, quam vel librario- rum turpis inscitia, vel nimia Criticorum quorundam superioris memoriae diligentia et seueritas, contaminasset atque vulnerasset, sanatam esse felicissime, pristinaeque integritati rectissime redditam, illius obseruationis ope et admonitu, ab multis aetatis nostrae Criticis: et cui tandem obscurum sit atque dubium, quin maior etiam restet in monumentis Graeciae Romaeque antiquae eiusmodi locorum multitudo, qui idem auxilium, eandem opem, Criticorum, illius ipsius legis auctoritate, expectent? Nos quidem non mediocrem in Aduersariis nostris numerum huius generis exemplorum congestum habemus: sed quia constituimus, vt superiore, ita hoc quoque, libello Palaephati tantum Fabulas illustrare et

et